

AD I. COR. CAP. IV.

nus eos afficeret, aut commoveret. Sed de falsis Doctoribus nihil antea Apostolus, nec ulla ratio apparet ejusmodi fictionis. Neque conveniunt τὰ ἔργα utpote quod ministri sint, quod æconomi, & quæ alia de se, & Apollo dixerat Paulus; Ego plantavi, Apollo rigavit, falsis Doctoribus. Voce autem μετεχνημάλισσα utitur, non tam, quod figuratè loquutus sit, quam quod in suâ personâ & Apollo figurârit, quæ omnibus ministris, non verò Doctoribus falsis conveniunt. Nam cum in nostrâ personâ peculiariter quos figuramus, vel in nos transferimus, quæ aliis communia sunt, rectè hoc verbum adhibetur. Aliud est, cum hoc verbum ad orationem transfertur, quod hic non fit, ubi μετεχνημάλισσα est personæ, non per fictionis, sed per figuratiōis modum: Hæc transfiguravi in me propter Apollo: Ut cum me & Apollo nihil aliud esse, quam ministros, nosque haud justificari nosmet ipsos ex integritate & innocentia nostrâ sentiat, ne nos quidem, qui plantavimus & rigavimus illis, nedum alios quicquam esse respectu Dei, qui incrementum dedit, statuatis, nostroque exemplo veram humilitatem addiscatis. Sic etiam B. Hunnius noster, Pareus & alii: nec non è Socinianis Crellius: Utitur Paulus verbo μετεχνημάλισσα, ut ostendat se modo ac figura quadam loquendi usum esse, cum se & Apollo induxit: Nempe quia non id tantum, quid de se & Apollo sentire debeant, docere voluit; sed quiddam amplius, quid videlicet de omnibus aliis Doctoribus sentiendum sit: Itaque se quidem & Apollo nominat sed præter se & Apollo etiam alios intelligit: quod quifacit, certa quadam dicendi forma & figura utitur. Benè etiam Schlichtingius p. 16. Transfiguravi in me ipsum & Apollo, id est in mea ipsius & Apollo persona vobis propolui, non in genere loquutus sum, quod poteram. Propter vos, id est, vestri causa. Ut in nobis, id est in exemplo nostro, qui vobis tanti viri, tantæ dignitatis videmur, ut à nobis nomina vobis faciatis & in partes scindamini. Discatis non supra quam scriptum est. In superioribus videl: cap: III, 5. & seqq: & hoc ipso capite versu 1. Sentire Nempe sive de vobis ipsis, sive de ullo alio in Ecclesia Christi Doctore, etiam de Petro ipso. Ut non unus pro uno, id est, alter pro altero, alter videlicet pro alterius laude & gloria. Inflemini adversus alterum, id est, per Meronymiam causæ, adversus alterum studiis & factionibus certetis, quod ex vano animi tumore supra ceteros eminere volentis profici-